Nobilissimo, clarissimoq. viro
D. Constantino Hugenio Equ. Zulichemi
Domino C. Barlaeus S.P.D.

Nobilissime vir,

ad lepidum tuum & argutissimum Epigramma vix quicquam audeo respondere. Vereor quippe, ne iterum à te audiam illud: Noverse prior, aut aliquid huic affine. Annam simul et Annam esse et Annaeum, Hunc et Hanc, monstro verius et Hermaphrodito simile fuerit, quam benè habitae Virgini. Si nihil velis tolli, sed aliquid assui, nonne Virginem Androgynum feceris? Talem si videat Deus amorum, pudebit et pigebit spectaculi. Nubat talis Aphrodite sibi. ducat seipsam talis Hermes. Mihi certè pro remedio amoris et refrigerio fuerit, quae est, quod erat, et fiat, quod non erat antè. Per me licet, seipsam ut gignat et sapiat. Licet iuxta Philosophorum placitum, quicquid fit, ab alio fiat. Votum meum & meus fuit, ut aliquid tolleret Iupiter, aliud assueret, fieretq. Anna, quod olim facta fuit apud Nasonem puella Iphis, hoc modo:

non candor in ore
Permanet, et vires augentur, & acrior ipse est
Vultus, et incomptis brevior mensura capillis.
Plusq. vigoris adest, habuit quam femina. nam quae
Femina nuper erat, vir creditur.

Cur autem illam velim virum fieri, multae causae sunt. Prima est, quia versus scribet, qui viros non dedecent. Secunda, quia tunc non erit periculum, ne illius amore flagret vir bonus. Nec enim taurum tauri, nec equos amor urit equorum. Urit oves aries, sequitur sua femina cervum. Sic et aves coeunt, interq. animalia cuncta, nullus mas maris cupidine corripitur. Tertia,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1382

Tertia, ut liberior et facilior ad illam pateat aditus.
iam quia ab oscentis sibi metuit, salutarj se sinit
et conspici, more Imperatricum Ottomannicarum. Quarto,
si vir esset, posset lectiones professorum audire
securius, et inter eiusdem sexus studiosos sedere. Nunc
pudibunda docentem audit professorem per hiantem
fenestellam aut fenestrulam, ut a petulanti iuven=
tute conspici nequeat. Quinto, si vir esset, posset
ipsa publice profiteri, vel poeticam, qua valet;
vel Hebraeorum scripta, quae legit sine principiis,
doctore Podio. Sexto, si vir esset, posset admoverj
clavo reipublicae, et exemplo suo docere, Rempubli=
^ quondam · cam interdum melius regi à ^ foemina, quam à
semper Viris. Verum pereant, mi Hugeni, hi ioci
inter nos. Nec enim ex honore fuerit gravissimae
et honestissimae Virginis, plures scire, quam
illius venerando nomine utamur familiariter.
De Dijs non nisi reverenter loquendum. Nec
minus de Vestalibus. Si Mars essem, posset
illi accidere, quod accidit Rheae, haec spe, ut
Remum ederet et Romulum, conditores magnae
urbis & gentis. Nunc, quia vixi maritae
nuper idoneus, et militavi non sine septem
liberorum gloria, haec arma defunctumque
bello Barbiton hic paries habebit. Et,
incidit illud Pindaricum: στέπται δέ τε φέρων
ἄνθεων.
Vale clarissime, doctissime, humanissimeque
amicorum & nos semper quoque fave, quod antehac.
Prid. Cal. Maij. CIƆIƆCXXXVI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1382

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1382

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens, heer van Zuylichem,
Secretaris van syne
Hoocheyt den Prince,
woonende in de Houtstraete

port

Haghe

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1382